

ac frigore, accessu cum tormentis impedito, madefactis ac fessis militibus, alii submittuntur. Verum oppidani nostros nullis protectos munitionibus, quod humus ad aggeres conficiendos deerat, conspicati, summo mane ingentium pilarum e moenibus emissionem, duo majora tormenta prosternunt, quæ in saxorum tumulum impacta, complures e nostris interfecerunt; Turcæ, qui extra oppidum majori numero excreverant, aditu occupato, Moncatæ conatus irritos fecerunt.

Cum igitur subsidia a Navarino averti non possent, Austriacus, ac Columna maturare discessum parant, urgentibus præsertim Hispanis, quod, magna planities parte tentoriis hostium occupata, certis nuntiis Beglerbegum cito affuturum afferebatur; quod moenium pars quatienda lapidosa existeret, ac non adeo facile verberationi cessura videretur; quod moenia humo oppleta objicerentur; denique quod hostes comineatu, ac tormentis instructi, nostros autem, priusquam moenia subirent, annona defectura esset. At Fuscarenus receptum foederatis indignum, parum tanto apparatus respondens, improbat. *Cur enim oppugnationem cœpissent, si eam exemplo deferere statuerant? an initio ea omnia perpensa, ac discussa esse? an spei, ac pollicitis hæc respondere, quorum universum pene orbem fama repleverant, eo anno Byzantio Turcas ejectum iri? Quid in posterum vel audaciæ, vel fidei in iis futurum, qui ex Selymi ditionibus arma pro foederatis induerant, cum inani expectatione decepti, tot viribus ne parvulum quidem in Peloponneso oppidulum capi potuisse intelligerent? vereri, ne ab eo hoste, quem diu obsederant, pulsos fuisse plerique existimarent, indeque perpetua christianæ classi iniusta nota, parta gloria turpi discessu foedaretur; dum Turcis liberum aditum, Navarino non expugnato, permitterent: Beglerbegum forte pertimescerent, qui duo fere millia passuum ab isthmo castrametatus, ex angusto dexteræ viæ aditu neque suppetias oppido ferre, neque, tot strenuis ac pugnacissimis militibus adversantibus, tutari posset? Panis nautici ne inopiam obtenderent, quem paulo ante in medium fere novembrem mensem suppetere cognitum fuerat? tantumne biduo, a quinto nempe ad tertium nonis octobris insumptum? propediem navigia commeatu onusta adfutura, ad quorum adventum ar-*

gen-